

DEUM in generali notione cognoscendi, commune & naturæ rationali ex creatione relictum, aut scientiâ obtinuisse & pietatem DEUM rectè colendi, debetur lumini supernaturali & est specialis divinæ gratiæ, Θεογνωσίας specialis & salvificæ, in qua Enochus DEO placuit Obj. 3. *Multos populos in novo orbe ignorasse DEUM & adhuc plures nescire DEUM*, Resp. 1. *Negat Cicer.* ullam est gentem, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio; Et *Crellius* de DEO p.47. ex historiis testimonium ducit, eas gentes, in quibus nulla putetur divinitatis opinio, dæmonem habere aliquem, quem vel res naturales & elementares quas colant & metuant, loco DEI habeant, prout de *Calecuthanis* referunt E. & idololatræ idola pro DEO colentes supponunt esse aliquod Numen, etsi quod & quid illud sit, ignorent. De idolis vero gentium plenissimè historiæ testantur monumenta, quibus deest non tam communis Deitatis opinio, quàm vera illius applicatio. Quapropter Resp. 2. *A negatione actus ad negatione potentia*, & ab ignoratione quorundam ad universalem scientiæ negationem N.V.C. In quo & *Scaliger* deceptus est, existimans exerc. 307. quia à *Diagora* & aliis mente tamen præditis, negatum & à *Protagora* dubitatum sit, esse DEUM, naturaliter id intelligi non posse. Cum concedat *Aristotelem* & plures alios, qui innumeri sunt, id scivisse & probasse; Quorum exempla positivè concludunt verum assertum. *Dicis*, ergò possibile est: Gentiles cognoscere verum DEUM, quod tamen de Judæis & Mahometanis negatur. Resp. Aliud est cognoscere DEUM, aliud verum DEUM. Aliud cognoscere verum DEUM materialiter, quod conceditur gentibus, aliud formaliter verè atque propriè, quod non conceditur Aliud est cognoscere DEUM in ignoratione mysterii Trinitatis, aliud cum negatione & impugnatione, illud cadit in Gentes, hoc competit Judæis & Turcis.

§. 6. Contra insitam Obj. 1. Intellectum esse instar tabularasæ, cui nihil sit actu inscriptum, inscribi tamen omnia possunt, E. nec notitia DEI illi est insita Resp. 1. Sed dantur quædam principia naturâ cognita, datur δίκαιον φυσικόν per ipsum Philosophum, & νόμος κοινός, ἀγραφεύς, E. dantur quædam notitiæ, quæ φύσει in sunt. Resp. 2. Non datur notitia naturalis